

9173
1775, 18.
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
OB STERILITATEM
IN RESERVATIS AD ALIMENTA
VVLGO den Auszug REMISSIO,
DANDA SIT

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

SOCIO
IN AUDITORIO IVRIDICO
DIE XXVI. SEPTEMB. ANNO 1775.
DEFENDET
CAROLVS SIEGFRIED BENIAMIN FELMER
LOEBAV. LVSAT.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



AN
OB STERILITATEM IN RESERVATIS
AD ALIMENTA VVLGO den Auszug
REMISSIO DANDA SIT.



§. I.

Est quidem certissimi iuris, in emtione venditione pretium in pecunia seu nummorum quantitate esse constituendum, ne que incertum facit ins, quod olim inter Seclarum diuersarum socios dubitatum sit teste *IUSTINIANO* in §. 3. I. de ent. et vend. quippe *Sabiniani* ex *Homeri* poetarum patris autoritate probare annisi sunt,

A 2

emtio-



emitionem etiam iuterueniente re alia fieri posse, quod graeci dicantur vinum comparasse ferro, armis pecudum que tergis, vbi tamen Proculi sententiam praeualuisse ipse Imperator testatur: tamen negari nequit, interdum rem cum pecunia in venditione admissam fuisse. Nam communis est opinio, quam ex L. 1. C. de permut. et L. 6. C. de pastis inter emt. et vendit. probant Dd. Si premium et res simul pro re data, atque premium rei aestimationem supereret, emitionem venditionemque fore, cum contra, si rei aestimatione datae superetur premium, permutationem celebratam esse. Neque dubitatio supererit, si ad illas venditiones respicimus, in quibus fundus minori pretio vendi solet, reseruato sibi ad alimenta annuo, quod in prouentibus naturalibus et fructibus consitit pacto determinatis.

§. II.

Sicut vero contractus locati conducti maxime in pluribus similis est emitioni venditioni teste G A I O in L. 2. π. locat. ita et in illa requiritur merces in pecunia constituta. Nihilominus dubitari nos non patiuntur leges, et res interdum loco mercedis dari posse. Probant ex Rescripto DIOCLETIANI et MAXIMIANI AA. Antoniae cuidam dato. *Si olei certa ponderatione fructus anni locasti, de contractu bona fide habito propter hoc solum, quod alter maiorem obtulit ponderationem, recedi non oportet.* Saltem validum pronuntiat locati contractum, vbi fructus alteri locati, qui loco mercedis certam olei ponderationem dare promiserat. Sic nunquam illicita agri erit locatio, vbi conductor praeter pecuniam certam frumenti mensuram daturus est.

§. III.



§. III.

Quemadmodum autem in emtione minori pretiores vendi potest, reseruato ad alimenta ex fructibus et prouentibus naturalibus fundi venditi praestando; ita in locatione conductione fundorum rusticorum contingit, ut minor merces constituatur, promissa fructuum prouentuumque naturalium parte determinata praestanda. Dicunt nostrates *Einen Ausezug*, et semper ex fructibus prouentibusque in fundo natis praestatur. Determinatur ex contrahentium arbitrio, eaque determinatio, sicut in vtroque contractu et emti venditi, et locati conducti et pretium et merces certa esse debet, ita illud quoque conuentione certum fieri debet; sequitur enim illud reseruatum ad alimenta in emtione pretium, in locatione vero mercedem.

§. IV.

Iam vero, cum in locatione conductione merces pro vnu rei locatae, imo pro facultate fructus ex re locata suos faciendi soluitur; ita inter alias forsitan causas remittendae mercedis quaestio venit, an ob sterilitatem, et, si fructus habere non potuerit ex casu grauiori, merces remittenda sit. Traetat cam GAIUS in L. 25. §. 6. π. locat. cond. Ait; *Vis maior, quam Graeci Θεοῦ βλαυ appellant, non debet conductori damnoſa eſſe; ſi plus quam tolerabile eſt, laetiſ fuerint fructus: alioquin modicum dannum aequo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non auferetur.* Latiō est traſtatio VLPIANI in L. 15. §. 2. π. eod. Verba ſunt: *Si vis tempeſtatis calamitoſae contigerit: an locator conduktörri aliiquid praeflare debeat, videamus. SERVIVS omnem vim, cui refiſt non potest, dominum colono praeflare debere ait: utputa fulminum, graculorum, furnorum, et ſi quid ſimile acciderit: aut ſi incurſus hoſtium fiat. Si qua tamen*



men vitia ex ipsa re orientur, haec damno coloni esse caer. et mox: Sed et si labes facta sit, omnemque fructum tulerit: damnum coloni non esse: ne supra damnum feminis (amissi) mercedes agri praestare cogatur. Sed et si vredo fructum oleae corruperit, aut solis seruore non adsueto id acciderit: damnum domini futurum. Quid vero a locatore praestandum, ipse **VLPIANVS** c. l. §. 7. exponit: *Vbicunque tamen remissionis ratio habeatur ex causis supra relatis: non id, quod sua interest conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata, supra denique damnum feminis ad colonum pertinere declaratur.* Intolerabile vero quod damnum sit, ex l. c. patet, videlicet, si feminis iacturam colonus patitur. Nostrum ius Electorale in DECISION. nouiss. XX d. a. 1746. aliter rem definitiū in verbis: *Daſerne wegen der Unglücks-Fälle in einem Pacht-Contrakte nichts bedungen worden, soll der Verpächter dem Pächter einem Remiss zu thun anderer Gestalt nicht schuldig seyn, als wenn der Verlust die Helfste des Jährlichen Pacht-Geldes übersteigt; auf welchen Fall der Verpächter den Schäden zur Helfste zu übertragen hat, und ist hierbey auf die vergangenen oder noch rückstündigen Jahre einiges Abssehen nicht zu richten.*

§. V.

His praemissis ad nostram quaestionem veniamus, scilicet: *an ob Sterilitatem in Reservato ad alimenta remissa danda sit.* Cum illa reseruata ad alimenta vel in emtione venditione promittuntur, vel locationi conductioni partum de reseruatis ad alimenta praestandis adiicitur, necesse est, ut in utroque contractu rem accuratius ponderemus. Alia enim videtur esse causa reseruati in emtione, quatenus pretium sequitur: Alia vero ratio habenda erit reseruati ad alimenta in locatione conductione, quippe

◆ ◆ ◆

pe mercedis partem constituit. De vtraque reseruatorum
ad alimenta specie videamus.

§. VI.

Primum ergo in venditione. Diximus, rem minori vendi pretio reseruato de super constituto ad alimenta in fructibus et prouentibus naturalibus. Hoc vero reseruatum succedit in locum illius partis pretii, quod a vero remissum, quodue lucratur ipsemet emtor. Necesse ergo est, ut naturam quoque pretii certo modo induat. Iam vero nemo vnquam probauit, pretii solutionem promissam remittendam esse, si sterilitatem emtor passus sit in fundo emto, ex quo reseruatum promissum. Et quamvis haud recte illud reseruatum comparetur cum vsuris, nisi in tantum, quod aliquam habeant similitudinem cum iis, qui absorbent sorem, et sic ad Leges vsurarum non tenentur; tamen et si cum vsuris compares, nullam habebis remittendi causam ob sterilitatem. Neque praeterea propter calamitatem in fructibus emtori legis auctoritas villa remissionem concessit, ut nec iure, nec legis autoritate et arguento a necessitate solvendi reseruati liberari possit.

§. VII.

An vero idem in locatione conductione sentendum sit, quaeritur. Diximus et supra, reseruatum ad alimenta in fructibus et prouentibus naturalibus partem mercedis constituere; sequimur exinde, aequali iure frui cum mercede. Iam vero supra ostensum est, mercedem interdum ob maiorem seu intolerabilem calamitatem sterilitatemque remittendam esse. Imo Saxonica Iura remissio-



missionem mercedis certo modo concedunt, ut ex Lege supra allegata patet. Subsumo itaque, et remissionem in reseruato ad alimenta concedendam esse, si tanta sit calamitas tantaque sterilitas, vt mercedis remissio ex lege fieri concedique possit; est enim pars mercedis ipsum reservatum. Si ergo tota merces remittenda, absque dubio sub tota mercede eius etiam pars continebitur, vt propterea reseruatum quoque remittendum sit. At dubitatio oritur, quid tunc iuris sit, si haud integra merces remittenda, sed pro parte locatori, pro parte conductori damnum ferendum, quale quid iure Saxonico dispositum. Arbitror et pro parte, sicut in mercede in pecunia consistente remissio danda, ita in prouentibus et fructibus pariter remissionem concedendam esse. Neque obstat, quod reseruatum illud constitutum sit, quo locator alimenta habeat: Non enim iudicandum erit ex iure alimenterorum hoc reseruatum, quamvis ad alimenta adhibetur, sed magis ex iure mercedis, cuius partem ipsum reseruatum constituit.




(leipzig) Diss., 1775 A/1



Sb

KD18



1775, 18.

Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
O B S T E R I L I T A T E M
I N R E S E R V A T I S A D A L I M E N T A
V V L G O den Auszug REMISSION,
D A N D A S I T
Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S E B R U G E N S.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E X X V I. S E P T E M B. A N N O C I C I O C C L X X V.
D E F E N D E T
C A R O L V S SIEGFRIED B E N I A M I N F E L M E R
L O E B A V. L V S A T.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.